

1944  
252  
Q. F. F. Q. F. S. S. T.

DE

PRINCIPIORUM  
CHYMICORUM

NATURA ET INDOLE  
EXERCITIUM ACAD. PHYSICUM,

Quod

FAVENTE SACRO SANCTO NUMINE,  
EX Suffragio Ampliss. FACULT. PHILOS.

In Regia Universitate Patria, Aboënsi,

DIRECTORE,

VIRO CELEBERRIMO,

DN. M. PETRO HAHN,

Philos. Natur. Profess. Reg. Ord.

Τοῖς *sobrie φιλοσοφῆσι ventilandum exami-*  
*nandumque placide offert*

SAMUEL FLORINUS, H. F.

Austro-Finlandus.

Ad xv. Calendas Julias, Anni cl. lcc. xciii.

Horis & loco solitis.

---

Exc. apud JOH. LAURENTII WALLIUM.

*Cam Linn*

*B. 066*

S.æ R.æ M.tis

VIRO

SUMMÆ FIDEL,

*Reverendissimo in CHRISTO*

*Patri ac Domino,*

DN. JOHANNI  
GEZELIO,


S.S. THEOLOGIÆ DOCTORI CE-  
LEBERRIMO, Amplissimæ Diœce-  
seos Aboënsis PRÆSULI Eminentif-  
simo, Consistorii Cathedralis ejusdem  
PRÆSIDI gravissimo, ut & Acade-  
miæ Regiæ PRO-CANCELLARIO  
Magnificentissimo.

DOMINO & MÆGENATI  
summo,

*Submissa mentis devotione aeternum  
suspiciendo.*

SALUTEM! ANNOS! FELICIA FATA!

REVERENDISSIME IN CHRISTO PATER  
INTER MAGNOS PATRONOS MAXIME!

n tanta, quæ REVERENDISSI-  
MAM TUAM AMPLITUDINEM  
indies circumstat negotio-  
rum publicorum copia, le-  
vi hoc Exercitio Academico audeo i-  
psum humilime interpellare; satis  
certus propensum ejus in Musas ea-  
rumq; cultores animum, simplicitatem  
& audaciam meam æqui bonique con-  
sulturum. Nam cum innumera in Pa-  
rentem meum, jam Senem, nostramq;  
domum, in me vero singularia & ma-  
xima contulerit Beneficia REVERENDIS-  
SIMA TUA EMINENTIA; ea sane ut o-  
mnia grata mente agnoscimus omnes  
& singuli, ita nec ego, pro tot Benevo-  
lentiæ argumentis quod reponam aliud  
habeo, quam hæc Academicæ Exer-  
citationis primitias, *Principiorum Chymi-  
corum* naturam & indolem qualiter qua-  
liter repræsentantes, cum perfectam  
hu-

hujus argumenti elaborationem nemo  
fortassis à juvene sperare vel exigere  
possit. Simplicitatem Styli, ejusq; pue-  
rilem cultum Humanitas ac Indul-  
gentia REVERENDISSIMÆ TUÆ EMINEN-  
TIÆ reficiet & excusabit, ac ad mayo-  
res conatus addet animum. Ego in-  
terea calidissimis votis Cœlum sagitare  
nunquam cessabo, ut REVERENDISSIMA  
TUA EMINENTIA felicibus animi juxta  
ac corporis commodis undiquaque ad-  
augeatur, in annos non pauciores, quam  
omnes Athenæi nostri cives ingenui ex-  
optant ardentem, quo studia nostra sub  
tanti PATRIS Patrocinio felicissime flo-  
reant. Sic voveo, sic precor, qui sum  
maneboque

*Dum memor ipse mei, dum Spiritus hos regit  
artus*

AMPLISSIMO REVERENDISSIMÆ TUÆ  
EMINENTIÆ NOMINI

*Humiliorum obsequiorum cultor  
devotissimus,  
devotissimusq; eliens*

SAMUEL FLORINUS, H. F.

# VIRIS

*Veneranda Dignitate, Celebritate fame, Claritate Nominis & Eruditione insigni inclytis atque memorabilibus:*

*Admod. Reverendo & Praclarissimo Domino,*

**DN. M. HENRICO FLORINO**

**SENIORI,**

*Ecclesiarum quæ in Rimitis Christo colliguntur, Pastori longe meritissimo, ejusdemq; districtus Praeposito gravissimo, Genitori meo, quovis honoris, amoris & obsequii cultu reverenter colendo.*

*Pl. Reverendo & Clarissimo Domino,*

**DN. M. HENRICO FLORINO**

**JUNIORI,**

*Regiæ Admiralitatis in Carlæ Crona Pastori ab Eruditionem & Vigilantiam æstumatissimo, nec non ejusdem Consistorii Adfessori æquisimo, ut naturali Fraternitatis vinculo conjunctissimo, ita jugi observantia nunquam non prosequendo.*

**SALUTEM & OBSEQUIA!**

**M***ulta licet debamus multis, Genitor & Germane Honoratissimi, magni tamen interest cui debemus: DEO enim omnis Boni Auctori, & Parentibus, unde*

*Veneranda Dignitate, Celebritate Fame, Cla-  
ritate Nominiſ, inſigni Eruditione & Pruden-  
dentia Admodum Plurimumq; Reverendis,  
maxime Conſpicuis atq; Venerabili-  
bus VIRIS:*

**DN. M. HENRICO FLORINO,**  
Præpoſito & Paſtori in Rimitò graviffimo,  
Genitori meo, quovis honoris amoris &  
obſeqvii cultu reverenter Colendo;

**DN. JOHANNI KECKONIO,**  
Paſtori in Swittis ob eruditionem & vigi-  
lantiam æſtumatiffimo, Fautori & Everge-  
ræ propenſiffimo, jugi obſervantia proſe-  
quendo;

**DN. GEORGIO LAGO,**  
Paſtori in Riſto diniffimo, ob eximia in  
me merita ad cæteros honorando;

**DN. SIMONI POLVIANDRO,**  
Paſtori in Zealis meritiffimo, Fautori &  
Benefactori indubitatiſſimo;

**DN. GABRIELI LAGO,**  
Sacellano in Riſto/ Vigilantiſſimo, Affini,  
fraterno ſemper affectu adamando;

**DN. JOHANNI LAGO,**  
Verbi Divini miniſtro in Riſto fideliffimo,  
affinitatis jure itidem colendo;

**SALUTEM & OBSERVANTIAM!**

vitam traximus, obsequium cum honore debito  
cum primis præstandum; tum Potestates, om-  
nesq; Bonos observantia & benevolentia mu-  
tua prosequi tenemur. Ego vero Vobis, Pa-  
rens & Germane Svavissimi, qui de me  
plus quam insigniter estis meriti, Vobis, in-  
quam me totum, meaque studia singula de-  
beo. Hoc ipsum quotiens mecum recolui (reco-  
lui autem sæpissime) totiens animum subiit  
desiderium, gratitudinem tanto Parenti Fra-  
trique declarandi, quod & jam necessitatem  
mihi imposuit specimen hoc publicum Nomi-  
num Vestrorum præscriptione cohonestare. Su-  
scipite igitur, Clarissimi Domini, has inge-  
nii mei primitias fronte serena, quas in nun-  
quam obliterandorum beneficiorum pignus, &  
debitæ observantiæ obsidem Vobis sacratas volo.  
Suscipite, inquam, qualemqualem hanc muneris  
ideam, in animi mei gratissimi indubitatum te-  
stem, & Titulum Vestrorum maxime Con-  
spicuosorum Nominum instar facis huic Ty-  
rociniò prælucere patiamini. Interea bene  
& longum Valete! Solitoque favore semper  
prosequimini

Vestr. Adm. Plq; Rev. Dignitatum

Omni obsequio

SAMUELEM FLORINUM.



*Rimos bosce meos conatus, no-  
mini alicujus insigniter de me  
meriti inscripturus, distrabe-  
bar à certatim concurrenti-  
bus, tum veneratione Paren-  
tis, tum aliorum etiam optime mihi cupi-  
entium pia, uti decet, recordatione. In hoc  
sententiarum divorcio constitutus, tanto me  
difficilius expedivi, quanto plures exstitero,  
qui me obligatum tenebant, Stetit tandem  
sententia: Illique ut vitæ & studiorum Au-  
ctori æternum devenerando; his, ut Musarum  
mearum Promotoribus & Fautoribus  
indubitatissimis, has ingenii primitias, in  
nunquam oblitterandorum beneficiorum pignus,  
& debite gratitudinis obsidem consecrare pla-  
cuit; quas sereno, obsecro, suscipiatis vul-  
tu, & Titulum Vestrorum Clarissimorum  
& maxime conspicuorum Nominum instar  
facis huic Tyrocinio præluce patiamini.  
Interea bene & longum Valetē! solitoque  
favore semper prosequimini*

*Vestrarum Dignitatum*

*Cultorem devotum  
SAMUELEM FLORINUM.*



SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS  
INTEGRÆ FIDEI SERVITOR

DN. O L A E

*S D N S R /*

Magni Ducatus Finlandiæ Vecti-  
galium Minorum Inspector Accu-  
ratissime, Expeditissime, Patrone  
& Nutritie ut Propensissime, ita  
quovis officiorum cultu jugiter  
prosequende!

**M**ulta licet debeamus multis, INSPECTOR  
SPECTATISSIME, magni tamen in-  
terest cui debemus: DEO enim omnis  
Eoni Auctori, & Parentibus, unde vitam  
traximus, vel iis, quos Parentum loco nobis  
substituit Altissimus, obsequium, cum honore  
debito cumprimis præstandum; tum Pote-  
states, omnesque Bonos observantia & be-  
nevolentia mutua prosequi tenemur. Tibi  
vero,

vero, Nutritie Liberalissime, quem Cæli  
Benignitas Patronum & Alumnum mihi  
prospexit, cujus tot tantisque liberalitatis in-  
diciis indies fruor, oneror, Tibi, inquam, me  
totum, meaque studia singula debeo. Hæc quo-  
tiens mecum recolui (recolui autem sæpissime)  
totiens animum subiit desiderium, gratitudinem  
tam Benigno Patrono declarandi, quod &  
jam necessitatem mihi imposuit, Specimen hoc  
publicum, Nominis Tui præscriptione co-  
bonestare. Suscipe igitur, Nutritie Propen-  
sissime, Exercitium hoc Disputatorium fron-  
te serena, quod in Honoris arham, & debitæ ob-  
servantiæ tesseram Tibi sacratum volo. Su-  
scipe, inquam, Spectatissime Domine, qua-  
lemqualem hanc muneris ideam, in animi  
mei grati indubitatum testem, & vilitatem  
muneris, ex devotione offerentis æstima. In-  
terea Vale! & DEO, Regi, Patriæ diu su-  
perstes Vive! ceu impense exoptat

SPECTATISSIMÆ TUÆ DIGNITATIS

Observantissimus

S. FLORINUS  
Auctor & Respondens.

*Ad Virum Pereximium,  
Eruditione & Modestâ Præstantissimum,*

**DN. SAMUELEM FLORINUM,**

DE PRINCIPIS CHYMICIS Disputatione pu-  
blicâ solerter differentem,

GRATULATIO.

**N**onnulli *Exiguum* sui laboris  
Sumunt materiam, eruditionis  
Tantillæ specimen suæ id putantes;  
Nec pauci *Nibi/um* subinde chartis  
Illevere suis, peritiores  
Sic se simplicioribus videri  
Cum credunt, studio quia huic inani  
Non rarò immoriuntur usque gnavi.  
Haud FLORINUS item suos labores  
In rebus nihili locare tentat,  
Sed de *Principis* notisque rerum  
Disqvirit *Chymicis*, scientiori  
Felix ingenio, scopoque certo.  
Quare comprecor undiquâque fausta  
Auctori, pariter quoque instituto  
Tali adgratulor! Hinc perennè vivat  
Sospesque incolumisque, dêin beatus!

*Id amicè vover*

PETRUS LAURBECCHIUS,

S.S. Th. D. & Prof. Ordinarius.

Natalium honore, virtutum cultu, & literarum laude præstantissimo Juvveni

DN. SAMUELI FLORINO,

Auctori & Defensori Dissertationis egregiæ de PRINCIPIS CHYMICIS, dexterissimo, Commiliti & Cognato suo per dilecto



Ἦλοι° ἘΤΩΣΙΟΕΡΓΟΣ ἈΝῙΡ  
ΠΙΜΠΛΗΣΙ ΚΛΑΙῆΝ

Μήποτε, ἔδ' ἀναβαλλόμεν @ δ' ἄ-  
ταιπι παλάει

Αἰεὶ ἀμφοτέρω @ Μελῶν δ' αὐτός, τοι ὀ-  
φέλλεις,

Ἔργον, Φίλιαθ' ἐταῖρε καὶ ἀγχιστεύς. Ἄμ' ἰρευνῶν

Νῦν ΧΗΜΕΪΑΣ ΤΑΣ' ἈΡΧΑΣ', Φυσιζοος αἰα  
Ἄς κρύπτει, ἰδέαν ρε καλὴν τῆς ἀρμενίας σοι  
Μῆσαι μετρήσασσι, Καθηγηταῖ σε εἰσαῖς  
Ἰμνήσασσι. Τεῶ σὺ δεπαῦτ' ἐπιβάλλεις θυμῶ  
καὶ ἔτως παίνεσαι ὁ εἶχ @ ὀλβιοδαίμων,  
Ἄλλος ἀμαλλοδετης τὰ δράγματα κάρπια  
σφῆξεις

L. Mæ gratulatur

DAVID LUYD.

## VIRO - JUVENI

*pereximio, Ornatissimo, atq; Eruditissimo,*

DN. SAMUELI FLORINO,

Optimi Parentis, Filio patrissanti, patriotæ, fautori & commiliti in sophærum castris mascule desudanti, jam vero de *Chymicorum Principiis* feliciter disputanti:

**N**on minus convenienter, quam acutè canit Poëta:

*Utendum est etate, cito pede præterit atas,*

*Et nunquam redeunt, qd̄i periere dies.*

Proh, quam multos pœnitentia ductos, amissum juventutis florem, prætermisissam boni occasionem lacrimis expiasse, irritisque votis depostulasse, dudum persensimus. *Verum sera in fundo parsimonia.* Serum est nimis, occidente sole, precario auream pueritiæ auroram, & matutinam juventutem revocare: Pervigilandum proinde, ne opportunitas subterlabatur, ne sit clepsydra juventutis nostræ exhausta ante, perquisitè *Scientiam cum Prudentia*, nobis quam per-

perquifivimus. *Vita brevis est, ars vero longa*: ergo e somno, delectamentis, ab otis, imo quibuslicet occasionibus, aurei temporis portiuncula, figillatim subsecanda. Quandoquidem: *omne tempus perire, ait Plinius, quod studiis non impendimus.* Nauclerus naufragus, potest iterum, aliam feliciorum navigationem tentare, damni dati cum recuperatione; ast qui vel unicam deperdit horulam, damnum illud, ne postliminio quidem resarcire potest: *avolat namque irreparabile tempus.* Endymioneam somnum si edormiamus, liquidis inebriemur, voluptatibusve immergamur, si juvenili genio indulgeamus, quæso qui tunc studiis invigilemus, quomodo in senectutis horrore incalescamus, qua ratione, sparta nobis demandata, segnitie adornata, nos solemur? juvenita enim fugacius nihil, quæ ubi avolarit *calendis Græcis* retrorsum redire sivevit. Tu vero, *Politissime FLORINE*, non in affaniis, non popino in popina, nec Sardanapali mollitie, neque bacchatim vixisti, neve lucar unquam adfectasti, ceu fucati as-

solent;

solent: verum pertinaci labore, indefesso studio, continuis lucubrationibus, juventutis tempus lucrifecisti optatò; quod evidenter evincit, Præsens Disputatio, lucernam olens, *Alchymistarum Principia* perscrutans, materia nequaquam e trivio desumpta, nec crambem recoctam nobis trivialiter obtrudis MI FLORINE, materia inquam, annis abhinc retro multis, forte an primis a Lycei nostri cunabulis, haud prelo impressa, si alioquin *OEdipodionides*. Gratulor ergo animitus Tibi Præstantiss. FLORINE, de singularibus ingenii tui dotibus, diligentia, industria, imò Disputationem tuam *επιμνηστικῶς* conscriptam gratulor. Felix igitur cathedram ascende, felicior Te tuasq; defende, felicissimus nobis descende: ut tandem mediantibus hujusmodi *prodromis essentialibus*, ad honores *Academico-Philosophicos*, cum applausu ascendas, ceu auguratur ac

Æ flaminia Biernoënsi  
d. 6. idus Maji  
1693.

Gratanter congratulatur utus occupatus

ERICUS INDRENIUS.

## LECTORI CANDIDO PACEM!



Edro dignum est, *Lector Amice*,  
 quod pronunciat Magister  
 subrilatum Acutissimus Scali-  
 ger *Exercit. 1. ad Card. Ad sem-*  
*piternarum rerum intellectionem, mentis no-*  
*sira directis acies tam imbecilla est, quam ad*  
*solem inveniendum Nyctivora avis oculus.* Effatum  
 hoc si ullibi in *scientia* locum habet, habe-  
 bit sane in *Naturali*: quippe quæ ob rerum  
 abstrusarum, quarum abditis scatet mysteriis,  
 ubertatem & amplitudinem, tam videtur ob-  
 scura, ut si quis, in universo Naturæ Theat: o  
 constitutus, vel unicam Corporis Naturalis  
 speciem accuratiori mentis perspicillo rimari  
 vellent, in ea tantum deprehenderet Ma-  
 jestatis, cui indagandæ Nestoris vix suffice-  
 ret ætas: Hanc enim ipsam *Naturam rerum*  
 contemplantur omnes, nulli penitus intelli-  
 gunt. Verum, cum *δύσκολα πὲ καλὰ* ple-  
 rumque soleant à *Deo* Judicari, difficultas  
 hæc Veritatis Studiosos à Naturæ arcanis  
 investigandis non arcere & avocare, sed ad  
 amoenissima Philosophiæ Naturalis vireta  
 visenda admonere & instigare debet.  
 Cum itaque magnum hoc Maximi DEI do-  
 num, *Naturæ* videlicet *scrutinium*, cum i-  
 psis Rerum primordiis mortalibus concessum,



intellectum Nostrum, horrendo Adami lap-  
su obtusatum, justo veritatis pumice poliat  
ornetque, imo Nos, teste Apostolo, ad DEI  
Ter Opt. Max. *Bonitatem Sapientiam &*  
*Potentiam* ubertim agnoscendam, & vene-  
randam excitet, stimulet, non mirum  
Tibi videbitur, LECTOR, & me hujus præ-  
stantia & jucunditate allectum, ex fragran-  
tissimo Naturæ Viridario tenellam hanc her-  
bulam, *Principiorum Hermeciorum naturam*  
*& indolem leviter adumbrantem*, carpissè,  
quam sobriæ Tuæ censuræ in præsentia exami-  
nandam sisto; Suavitas enim & amœnitas cum  
apprime alliciant; Quæso, quid suavius? quid ju-  
cundiusve? quam eorum, quibus, ut singula mix-  
ta, constat, quibus nutritur, quibus refici-  
mur, quæ indies haud secus oculis ac manibus  
versamus, naturam indagare? cum idem mo-  
neat utilitas, urgeat necessitas; inanem quip-  
pe operam cognitioni Mixtorum, horum no-  
ticia ignorantie pulvini subdita, navat,  
quicumque navat. Difficultatem equidem non  
levem heic perorant Physicorum Scholæ,  
plene rixarum & contentionum in consti-  
tutione; querelæ in inquisitione, lubricitatis  
& inconstantie in asseveratione *horum Princi-  
piorum*. Hinc & alii, rem nobis ut enoda-  
rent, omnem moverunt lapidem, quam plu-  
rimi, & tamen *saxum in vertice collocare*,

non

non valuerunt. Mihi vero, cum specimine aliquo publico simplices ingenioli mei profectus explicare vellem, de iis scribere placuit, quæ ansam præberent ulterioris discursus, non quidem, quod falso mihi persuaderem, in tam ardua & spinosa re (quæ multorum, heic nodum qui solvere tentarunt, ingenia defatigavit) omnes difficultates me vel emensurum, vel profus devoraturum, cum norim altioris hoc esse acuminis; sed ut, rerum Naturalium Scientiæ cupidus,

*Quid valeant menti vires, quid ferre recusent experirer.* Quare si me ultra annos quid tentasse arbitreris, illud Poëtæ mihi calcæria addidisse scias:

*Quod, licet deficient vires, audacia certe Laus erit in magnis, & voluisse sat est.*

Nec te fugit, Lector Æquissimo, neminem plenuisse silendo; jure igitur suo hos ignorantia tenebriones, qui tacendo ruditatem palliare amant, arceat Scaliger: *Exercit. 6. sect. 4.* *Annon desunt, inquit, circumscripti animi quorundam ac serviles, qui in tenebris ignavo marcescere otio, quam in luce ac pulvere cum labore versari malint? Quid enim turpius, quam ex omnium Rerum Domino atque Directore Intellectu nostro, efficere mancipium alienæ libidinis?* Hæc perpende, Lector Benevole, mihiqve pro Tuo candore Fave.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ

**S**I unquam inter præclara & splendida DEI dona, humano generi concessa, aliquod sinisteris mortalium iudiciis, præter jus & fas fuit obnoxium, certe in primis & ante omnia, præsertim his exulceratis seculis, Chymicorum Principia fato illo premi, & tamen non opprimi, nemo fuerit facile, qui ambabus ultro non largiatur manibus. Inculta etenim plebis ruditas nihil celebrat, nisi quod facit ad salivam, seque crasso fumo in oculos conjicit; quod namque foris non splendet, sed in abdito nobilitatem & ornamenta gerit sua, damnatur. Quod certe modernos hominum mores penitus introspicienti, multum admirationis parere non posse arbitror: nam quo quid nobilius subtiliusque, eo obscuriorum invidiæ, ignobilium & vulgarium malevolentia, plebejorum & ignorantia Magistrorum temerariis delirijs, iudiciis magis expositum, Scilicet, fæda seculi nostri labe est, irridere, explodere, damnare,

quicquid non protinus ad palatum. Facile dictu est, delirasse Hermetem, insanivisse Chymicos, sed contrarium probat Veritas, quæ nec ab Aristotelis, nec ab Interpretum dependet cerebellis, verum ex rebus ipsis, earumq; Magistra experientia eruenda. Linquenda igitur hæ nuga Auctoribus suis, cum sciamus horum judicia ab omni Sapientiæ memoria jam dudum fuisse infamia. Ad sapientiorum confugiendum judicia, apud quos hæc Principia merito baud exilem possident Majestatem. Una enim horum lampade plus cernit sedulus Naturæ indagator, quam vulgares fere omnes, aperto Sole. Et si, quod res est, fatendum, nulla otia in universo Naturæ amphitheatro, se tantum, non sane plus utilitatis & oblectamenti pariunt, ac horum Principiorum scrutinium sobrium. Quare nec omnem nos perdidisse operam existimamus, ponendo aliquid studii in horum Principiorum natura paulo altius investiganda. Ad nostrum propositum vero ut proprius accedamus, primitus meminisse juvat, universam Naturam ordine gaudere. Quidni igitur & Ars, naturæ

turæ æmula? Quidni & cultor Artis ac Naturæ indagator? Cumq; bona Methodus forma seu anima Artis, quinimo Scientiæ ac cognitionis iter lucidum non immerito statuatur, galeam tibiæ & ocream capiti inducit, ut loqui amat Clariss. Sperlingius, rem, sine Methodo qui agit. Ne itaq; hoc nobis vitio vertatur, & tenebrosa salebro-saq; heic oboriantur devia, Ordinem certum, veluti lucernam præviam sequi gestit animus, in quo, præmissis horum Principiorum Definitionibus, Qualitates eorundem nobis erunt explanandæ, quod ipsam sequenti huic Theorematum decadi, ea lege inclusum volumus, ut cum Deo Bono, & Veritate Duce, altero Bonos Auctores, quid suadeant illi, altero vero oculo magnum Naturæ intueamur librum. Sine ulteriori ergo verborum apparatu,

Εἰ τῷ τῆ Θεῶ τῆ Τετραγίε Ὀνόμα!

Esto

§. I.

**L**EX Methodi est, quod in rebus proponendis & declarandis Reali cujuslibet materiei Definitioni Ὀνομαλογία seu

*Consideratio Nominis merito præmitti de-*  
*beat, monente Platone: Δεῖ ἐξετάζειν τὴν*  
*ὀνόμαζα;* Est enim à *Nominis origine na-*  
*tura rei sæpius deducenda, cum voca-*  
*bula ipsarum rerum involucra sint; ic-*  
*circo & nos, quo feliciori pede tum in*  
*veritate adstruenda, tum in falsitate*  
*destruenda progrediamur, operæ pre-*  
*tium nos facturos existimamus, si no-*  
*mina, rerum cortices primum dissolva-*  
*mus, ut eo facilius atque felicius ipso*  
*nucleo frui queamus. Tria autem,*  
*juxta Logicorum decreta, considerat*  
*ipsa ὀνομαζ�λογία. I. Ἐτυμολογία, seu Ori-*  
*ginationem vocis. Sciendum vero est, Prin-*  
*cipie hæc Chymica, eatenus originem su-*  
*am debere ipsis inventoribus suis, Chy-*  
*micis videlicet, qui Naturam non in li-*  
*bris, sed in Mundi theatro venantur.*  
*Est autem vox Chymici origine Græca, &*  
*deducitur à nomine χυμὸς Succus, quod*  
*derivatur a verbo χύω Fundo, vel χύμα*  
*Fusum, hoc vero radicem agnoscit χέω vel*  
*χεύω, quod itidem fundere & diffundere*  
*significat, item liquare & liquefacere.*  
Quam

Quam *Nominis* notationem non temere sortiti sunt *Chymici*: Solent enim artis *Chymicae* periti metalla durissima, è terræ visceribus effossa, *liquare* & in *succos* fundere; nequaquam ergo hallucinatus est Poëta, dum cecinit:

*Conveniunt rebus nomina saepe suis.*

§. II.

2. *ὀνομασία*, quæ errorum genitrix semper existit, nisi enim voces, de quibus sermo est, ab *equivocationibus*, quibus substratae sunt, liberentur, ingentes *errorum* cumuli inde nascuntur. Hos ergo ut evitemus, e re nostra fore ducimus, paucis heic vocabulorum præmittere *ambiguitates*. Quod itaque attinet ad vocem *Principiorum*, tenendum illa in duas classes dispesci a *Natura* consultis, quarum prior *Communia* considerat, posterior *Propria* sibi vendicat. *Principiorum Communiorum* quædam sunt (α) *Generaliora* *Materia* sc. & *Forma*, quæ omnibus corporum naturalium speciebus, tam *simplicibus* quam *mixtis* omnibus conveniunt, adeoq; & ipsis *Elementis*, nec

non hisce *Principiis Chymicis*, quæ etiam *principiorum*, licet non *generaliorum* nomine veniunt. Quædam ( $\beta$ ) *Generalia*, utpote: *Quatuor Elementa*, quæ non *conjunctim* sumpta, *simplicibus*, *mixtis* tamen singulis singula, & per consequens etiam hisce *Chymicorum Principiis* (quæ nihilominus *principiorum* nomine gaudent) *materiei* adinstar insunt. Quædam ( $\gamma$ ) *Specialia*, cujusmodi sunt tria hæc *Principia Chymica*: *Sal* videl. *Sulphur* & *Mercurius*, quæ *impræsentiarum* nostro famulantur instituto. Hisce *Principiis* non quidem constant *simplicia*, attamen in omni *corpore mixto* revera inveniuntur, quod ipsum inferius, *inviçtis* constabit argumentis. Et licet hæc *Principia mixta* sint (constant enim ex *quatuor Elementis*) *Principiorum* tamen nomine merito salutantur, respectu corporum *magis mixtorum*, & ex his constitutorum, cum & aliqua *Mixtis* superaddant, quæ ex *Elementis* habere nequeunt, cum nec *Elementa* ipsa illis gaudeant *qualitatibus*. Quapropter nec valet illatio:

*Quic-*



*Quicquid est Corpus, principium non est.*  
 respondemus per regeffionem: *Elementa*  
 sunt corpora, *Mixtorum* tamen *principia*  
 sunt. Idem videre est in *sanguine* nec  
 non *semine*, quod *principium animalis* di-  
 citur, licet & *semen* & *sanguis corpora mix-*  
*ta* sint. Nulla igitur est major syllo-  
 gismi propositi, cum non sit absurdum,  
 unum *corpus compositum*, alterius *corporis*  
*magis compositi*, quod etiam ab illo con-  
 stituitur, *principium* statuere. Cum &  
 ipse Philosophus, *lib. Metaph. d. c. x. Æ-*  
*quivocum* esse *principii* vocabulum doceat,  
 tandemque concludat: *Omnibus principis*  
*esse commune, primum esse, unde aut incipi-*  
*at, aut fiat, aut cognoscatur aliquid.* Un-  
 de nec hic, ubi quæruntur *principia* è  
 quibus fiant, & unde has vel illas qua-  
 litates habeant *corpora mixta*, si *principii*  
 vocabulum usurpetur, adeo peccari pu-  
 tamus, si tantummodo *generalia* à *speci-*  
*alibus* distingvantur: nam nec *Principia*  
 hæc *generalia* esse contendimus, *specialia*  
 tamen esse, & *principia sive ordinis* dici-  
 mus, quod nemo sanus inficias ibit.

Dantur præterea & his *Principia Specia-*  
*lora*, quæ *Propria* audiunt, singulis *mun-*  
*di speciebus* peculiariora; quot enim sunt  
*species corporum naturalium*, tot quoque  
sunt *principia*, *Specialissima* scilicet, quæ in  
singulis, pro varia *formæ* dispositione  
variant. Verum heic obiter notandum,  
per *Salem & Sulphur* nos hic non intelli-  
gere *mineralia illa fossilia*, *Sal* videl. *escu-*  
*lentum*, aut *sulphur vulgare*, quæ Indies  
nostris manibus teruntur; nec *Mercuri-*  
*um* hic intelligimus *communem*, quem  
vulgo *ὄψάργυρον* seu *argentum vivum* ap-  
pellare consuevimus, in singulis autem  
hisce, per *Synecdochen Rhetorum*, *speciei* no-  
men *genus* obtinet; non enim *Sal esculen-*  
*tus* tantum *Sal* est; sed & ille, quæ in *sin-*  
*api*, *allio*, *alumine*, *pipere*, *saccharo*, *aceto*,  
*melle* singulisq; *sapidis* delitescentem gu-  
stamus. Nec *Sulphur minerale* solum *Sulphur*  
est; sed & illud, quod in *naphta*, *bitumine*,  
*petrolio*, *antimonio*, *auripigmento*, *aro-*  
*matibus*, *camerina*, *excrementis fœti-*  
*dissimis & similibus coloratis*, *inflammabili-*  
*bis* atq; *odoratis* conspicimus, odoramus.

Nec

Nec aqua illa mineralis, seu Mercurius vulgi solus Mercurius est; verum omnis liquor spirituosus, nconstantiam mixtis concilians ( ut jam cum Chymicis & loquar & sapiam ) Mercurius ob subtilitatem appellatur. Imposuere autem Chymici Salis, Sulphuris & Mercurii nomina hisce suis Principiis, quia in nullis aliis corporum naturalium Speciebus, Principiorum Chymicorum proprietates & qualitates, in tam excellenti gradu, ac in vulgaribus hisce tribus mineralibus vigere conspexerunt. Notamus hacde re quod monet Clariss: P. Severinus, in *Idea Med. Philosoph*: Cave, inquit, ne arbitraris cum hisce Sal commune, Sulphur & Mercurium vulgi intelligi, ex iis enim nullum corpus constituitur, cum sint individua in suo genere absoluta, unumquodque horum tria pariter in se Principia continet; habet enim Sal commune in se Sulphur vel oleum, Mercurium vel liquorem spirituosum, & adhuc substantiam quandam solidam & fixam, Salis naturæ propinquissimam; Similiter Sulphur vulgare liquorem continet, Oleum & Sal; Eo-

dem

dem quodque modo Mercurius, liquorem habet, Oleum & Sal. Sed quia differentias trium substantiarum, ex quibus singula mixta componuntur, proprietates & conditiones in nullis totius naturae speciebus magis explicatas animadvertenterunt, placuit ex iis appellationes mutuari idque Philosophica auctoritate; si enim aliis conceditur figurarum & colorum externa similitudine nomina rebus imponere; qua inscitia eos accusabimus, qui actionum & proprietatum, ab essentia immediate fluentium, consonantiam imitati, ejusdem familiae rebus easdem appellationes accommodavere? EX hisce igitur praemissis judicare facillimum est, tria haec Principia Chymica non esse Salem, Mercurium & Sulphur vulgaria; at aliquid natura purius ac simplicius, quod tamen analogia quadam Sali, Mercurio, Sulphuri communibus respondet, quare etiam Principia haec ab istis vulgaribus nomen suum mutuata sunt.

§. III.

3. Συνομιαν, quæ non parum etiam lucis nominali hujus rei considerationi feceratur. Varias autem appellationes

pas-

passim sortuntur *Principia Chymica*: *Principia* quippe *σοφικὰ* nonnullis dicuntur; *Hypostatica Principia* malunt alii; sunt & qui *Spagyrica* salutant; Clarissimo Kippingio *Hermetica* audiunt, ab *Hermete Trismegisto* (de quo fusius tractantem videsis Celeberrimum D. Senertum, *lib. de Conf. & Diff. Chymicorum*) sed perinde est, quocunque demum nomine illa insigniamus, eodem res redit; *In verbis sumus faciles, modo res ipsas obtineamus.* Verum, cum *Naturalis Scientie* studioso nimio minus expediat in *Nominis notatione* multis immorari (*res enim & realia* ejus erunt curæ) quare & nos, *res ipsas* consideraturi, hinc jam superledemus, missisque *nomini-bus*, recto hinc pede ad *realia* pergimus.

§. IV.

**H**ec è vestigio se offert ipsa *παραμαθηγία*, in qua huius rei natura altius investiganda venit; Cum autem *Questio An sit?* secundum statuta *Logicorum*, semper necesse est, præcedat *Questio-*

*stionem, Quid sit res?* siquidem parum at-  
 tinet laborare de re, de qua incertus sis,  
 an detur? Non igitur abs re in primo  
 statim limine hic quæritur: *Andentur hu-*  
*iusmodi Principia Chymica?* Quod ipsum  
 sequenti discursu adseverare non dubita-  
 mus Non ignoramus mirandos esse *Nat-*  
*uræ* thesauros, quos mirari facilimum,  
 rimari autem & scrutari, heic opus,  
 heic labor est; Quid tamen noster la-  
 bor ad totius *naturæ* latifundium? ast  
 dolendum, tantam nec esse perditif-  
 simæ huius mundi facis diligentiam, in  
 naturæ operibus indagandis, quantam  
 prætendit, quare & nunc *Veritatem*, quæ  
 tamen in fundo posita est, in summa  
 terra elui manu quærit, teste Seneca.  
 Si autem qui sunt in *Naturæ* interiora  
 penetrare qui laborant, *Chymici* sunt, ho-  
 rum industria *Principiorum Chymicorum*  
 secreta, plus quam *Cimmeriis tenebris* an-  
 te oppressa, (unde nec de iis somniare  
 quidem potuere alii) in lucem protracta  
 sunt, nec mirum; hi enim, cernentes  
 se

se æque in mundi theatro constitutos  
 esse ac majores, æque naribus, oculis,  
 auribus, menteque præditos esse ac il-  
 los, igitur nec illorum vigiliis se man-  
 ciparunt; sed ipsam naturam rerum in  
 ipso mundi theatro investigantes, pro-  
 pria industria inventis, quæ deerant, ad-  
 diderunt, manca supplerunt, & vana cor-  
 rexerunt; præsertim cum viderent Vete-  
 res, non sine egregius confusionibus  
 & contradictionibus omnes *mixtorum*  
*qualitates* ad *qualitates Elementares* referre,  
 cum tamen omnes in *puris Elementis* nul-  
 lo modo deprehendere liceat, nec enim  
*ignis purus*, nec *aër*, nec *terra*, nec *aqua pura*  
*saporibus*, *odoribus*, *coloribus* similibusque per  
*se* gaudent, igitur nec *mixtis* has *quali-*  
*rates*, quibus, nec ipsa *pura* vestita sunt,  
 largiri queunt; hoc autem cum cerne-  
 rent *Chymici*, subolfecere alia adhuc *mi-*  
*xtis* inesse *principia*, ad quæ dictas has *qua-*  
*litates* tutius & propius referre possent;  
 nec sine ratione: si enim horum naturam  
 sine præconceptis opinionibus accu-  
 ratius pensitaverimus, fores naturæ hic  
 re-

referatas magna cum gratitudine fa-  
 tebimur. Pro affirmativa igitur horum  
 veræ sententiæ primo argumentamur:  
*Ubi dantur novæ & peculiare operationes,  
 quæ ad Elementorum qualitates referri neque-  
 unt, ibi quoque dantur novæ & peculiare  
 qualitates; Atque in Corporibus mixtis dan-  
 tur novæ & peculiare operationes, quæ ad  
 qualitates Elementorum referri nequeunt,  
 Ergo in Corporibus mixtis quoque dantur novæ  
 & peculiare qualitates. Adhuc: Ubi dantur  
 novæ & peculiare qualitates, quæ in  
 Elementis, puris non deprehenduntur, ibi  
 quoque datur nova & peculiaris Essentia, ab  
 Elementis maxime distincta; Atque in corpo-  
 ribus mixtis dantur novæ & peculiare  
 qualitates, quæ in Elementis puris non de-  
 prehenduntur, Ergo in corporibus mixtis quod  
 datur nova & peculiaris essentia ab Elementis  
 maxime distincta. Major utriusque syllogismi  
 est immotæ veritatis. Prioris: Quia om-  
 nis effectus semper præsupponit causam pro-  
 ximam, & operatio rei, omnium Logico-  
 rum consensu, arguit ipsam rem; ubi e-  
 nim proprietas rei gliscit, ibi quoque  
 proprium adesse Subjectum cordatorum  
 nemo*



nemo reclamatur. Nec non *posterioris*,  
 cujus tamen certitudinem, præter illa,  
 quæ allata sunt, ex hoc *Peripateticorum*  
 absurdo probamus: *Absurdum enim est,*  
*dicunt, dari accidens sine subiecto.* Ratio  
 est; quia *accidentis esse, est inesse.* si jam  
 darentur *qualitates peculiare sine Essentia*  
*peculiari,* sua sponte hinc sequeretur, da-  
 ri in natura rerum *accidens extra sub-*  
*jectum,* quod *ἄλογον,* quod *ἄβρον.* ergo:  
 Quod vero attinet ad *Minorem,* est &  
 illa in propositulo, quod ipsum, præter  
 dicta, sequentibus patebit: Dantur quip-  
 pe in *Corporibus mixtis novæ & peculiare o-*  
*perationes & qualitates, Saporis videl. Odo-*  
*ris, Coloris & Inflammabilitatis,* quæ ad *E-*  
*lementorum purorum qualitates* referri ne-  
 queunt; nullus etenim *Sapor aëri puro,*  
 nullus *igni,* nullus *aqvæ,* nullus *terræ puris,*  
*per se & ex se* inest; nullum *Odorem ignis,*  
 nullum *aër,* nullum *aqvæ,* nullum *terræ*  
*pura* de se spargunt; *Coloratus* non est  
*ignis purus,* nec *terræ,* nec *aër,* nec *aqvæ*  
*pura in se & ex se colorata* sunt, nec deni-  
 que

que *Inflammabilitas* igni, nec aëri, nec terra, nec aquæ puris competit. Ratio hæc est: quia aër, terra, aqua & ignis, utpote pura *Elementa*, in se & ex se ne minimam quidem habent potestatem ad istos *effectus* producendos. Notum enim est, nullam substantiam creatam esse immediatum suarum actionum principium, sed quicquid agit substantia creata, agit per suas *qualitates*: Ignis, aër, aqua aut terra si essent proportionata, ad hæc *Odorum*, *Colorum*, *Saporum* & *Inflammabilitatis* operationes in corporibus mixtis causandas, agerent utique hoc per suas *qualitates*; At falsum est *Consequens*; quia nec *Elementorum* *qualitates*, cujusmodi sunt: *Caliditas*, *humiditas*, *frigidity* & *siccitas* *perse* & *ex se* aptæ sunt ad hujusmodi *effecta* producenda, ut fusius infra patebit; falsum igitur & erit *Antecedens*. Remanet ergo *Principiorum Chymicorum* *qualitates*, *Odores* sc. *Colores* *Sapores* & *Inflammabilitates* ad ne unum quidem *quatuor* *Elementorum* referri posse; Cum

*proprium non excedat suum subiectum, ἰδιον  
 οὐδ' ἀλλ' ὅντιν ἐστὶν ἰδιον ἀδύνατον.* Unde sequi-  
 tur dari hujusmodi *Principia Chymica*,  
 cum prorsus infallibilis veritatis sit re-  
 gula Logicorum, quæ dicit *proprietatem  
 testari de suo subiecto.* Alterum ar-  
 gumentum, quo invictis prorsus ratio-  
 nibus probatum imus dari *Principia Chy-  
 mica*, desumptum est ex *Analysi* corpo-  
 rum naturalium, cum ex effato *Physi-  
 corum* satis superque constet, *nihil omnino  
 perire*; hoc enim si fieret, daretur *vacuum*,  
*à quo abhorret natura*; verum, cum cor-  
 rumpuntur corpora, *resolvuntur* tantum-  
 modo, & abeunt in sua *principia*, ex qui-  
 bus conflata sunt *mixta*. Ex hisce igitur  
*resolutionibus* hunc in modum colli-  
 gimus, in *corporibus mixtis* dari *Principia  
 Chymica*: In quæ *resolvuntur corpora mixta*,  
*ex iis quoque constant*; Atque, non tantum in  
*Elementa*, verum etiam in *Principia Chymica*  
*resolvuntur corpora mixta*; E. non tantum  
*ex Elementis*, verum etiam ex *Principiis Chy-  
 micis constant*. Major tantæ est certitudi-  
 nis, ut in dubium revocari nequaquam

possit; hujus quippe *Canonis* immoto nititur fundamento: *In quæ quid resolvitur, ex iis constat. Minoris infallibilitatem sensus & experientia cum ratione conjuncta adstruunt.* Cum etenim corrumpitur hoc vel illud *individuum mixtum*, primo omnium in *partes* resolvitur, quæ rursus in hæc *Principia Chymica*, *Sal* nim. *Sulphur & Mercurium*, & hæc demum in ipsa *Elementa*, ex quibus singula mixta constant, abeunt. Hoc quoque innuit *Basso*, dum ait: *Compositum naturale non primo resolvitur in prima illa Elementa; sed in partes quasdam naturæ inter se discrepantes, quarum singula species rursus in alias multiplices dividuntur, & hæc tandem in minutissimas conciduntur.* Primam illam & ultimam concisionem præter propter largiuntur omnes, mediam igitur, quæ nos maxime terit, probamus: Cum enim resolvitur cadaver cujuscunque demum mixti, *Odorem* de se spargit molestum; unde is? num ibi nudus *Odor*? nequaquam; *accidens* quippe *Odor* est, quod sine suo *subjecto* nunquam est, *subjectum* igitur ut

ha-

habeat cui *infit* necessum est; quodnam illud? Num *Elementa*? nequaquam, cum jam in præcedentibus evictum *Elementa*, quippe quæ *simplicia* sunt, per se hujusmodi *qualitatibus* non gaudere; Num ergo *Principia Chymica*? Omnino, & quidem *Sulphur*; scilicet, exhalant e cadavere equi, bovis, hominis vel cujuscunque *mixti* inter alias, *atomi Sulphurea*, in tanta parvitate, ut visum fugiant, adeoque & captum *bulgi*, nos vero, magis de *substantiis*, quam *accidentibus* sollicitos, adeoque non solum *Odorem*, verum & ejus *subjectum*, cui *necessario inesse* debet, heic pensitantes, latere nequit; *Sulphur* enim  $\pi\rho\omega\tau\epsilon\nu$   $\delta\epsilon\nu\lambda\eta\delta\epsilon\nu$  est *omnis Odoris*, ubique, ergo *Odor est*, ibi non potest non adesse *Sulphur*. Hoc testatur vel minima *Sulphuris* particula, quæ accensa, maximum per totam domum spargit *Odorem*. Idem dicendum est de *Sale*; ut enim *omnis Odor à Sulphure*, sic *omnis Sapor à Sale*, quippe qui *primarium subjectum omnis Saporis*. Hoc videre est in omnibus *mixtis*, præcipue vero in *magis sapidis*, quamdiu *salita* sunt, conser-

vantur à corruptione (*Salis* quippe & *haec* virtus est, ut *intima mixti penetret*, & *putrefactionem prohibeat*) cum autem *Sal*, per *atomos* minutissimas egressus est, è vestigio *Saporem* amittunt & corrumpuntur; cum vero nonnihil *Salis* hisce cibariis iterum aspergimus, hujus beneficio à putrefactione conservantur, denuoque gratum in illis gustamus *Saporem*; ubi *Sapor* de proprio suo *subjecto Sale* testatur, *ubi enim Sapor est, ibi Sal est*. Nec *Salis* virtutes negabunt illi, qui *cepas* & *raphanos* secant, docebit quippe illos *morsus oculorum*, quem sentiunt, aliquid, præter *Elementa*, *cepis* hisce *raphanisque* inesse, quod ipsorum *oculos ferit*. *Elementa* enim *pura*, per se ejusmodi *qualitatibus* prædita non sunt, siquidem nec *caliditas*, nec *frigiditas*, nec *humiditas*, nec *siccitas* hujusmodi *effectus* & *operationes* præstare potis est, ab uno igitur *Principiorum Chymicarum* est, & quidem à *Sale*; nam cum scinduntur *raphani* & *cepe*, egrediuntur ex iis *atomi Salis*, quæ *raphanos* secantium *oculos mor-*  
*di-*

dicant; Et hæc igitur *qualitas Sale* mix-  
tis inesse arguit. In hisce, & similibus  
singulorum *mixtorum resolutionibus*, una  
cum *Sale & Sulphure*, per suas *atomos*,  
expirat *Mercurius*, tertium *Chymicorum*  
*Principium*, de quo necessum quidem  
habemus fateri cum *Experientissimo*  
*N. Sennerto*, *essentiam* ejus summe lati-  
tare; non tamen exinde licet inferre,  
hujusmodi *spiritum* seu *liquorem spirituo-*  
*sum non dari*, licet non in oculos incurrat,  
cum nec *Elementa pura*, nec *animalium*  
*spiritus sensuum ministerio hauriantur*. Quid  
autem dicendum de *fumis & vaporibus*,  
qui è *terris & aquis potissimum exhalant*?  
numnam in illis aliqua *Principiorum Chy-*  
*micorum* reperiantur vestigia? Maxime;  
id quippe indicant *sensus*, *quotidiana lo-*  
*quitur Experientia*; *fictent enim vapores*,  
& *oculos vexant fumi*, quod nequaquam  
*pura præstant Elementa*, *talium expertia*  
*qualitatum*; hoc vero faciunt *Principia*  
*Chymica*, unde etiam liquet *Salem*, *Sul-*  
*phur & Mercurium* in *fumorum vaporumq;*  
*effluviis*, haud secus ac in *reliquis mixtis*,

revera inesse. Exactissime autem hæc omnia demonstrant ipsi *Chymici* (quorum opera in his rationum labyrinthis ceu *Ariadnes filo* utimur) illi etenim singula *mixta*, durissima etiam *Metalla* & *Mineralia*, in sua *principia*, è quibus conflata sunt, solvere queunt, in cujusmodi *resolutionibus*, non tantum *quatuor Elementis*, verum etiam *tribus* hisce *Principiis Chymicis*, *Sale* nim. *Sulphure* & *Mercurio* singula *mixta* constare ὁφθαλμοφανῶς ostendunt. Hoc ipsum indigitat *Basso* his verbis: *Vix ulla res est*, inquit, *ex qua non eliciant* (*Chymici*) *tres naturas valde inter se differentes, quarum, quæ subtilior est, & volatilior, spiritum vocant, seu Mercurium; quæ vero crassior & pingvior, oleum & Sulphur appellant; quæ vero omnium maxime fixa, ex imis veluti partis cujusque penetrabilibus ultima educitur, Sal illis nuncupatur.* Patiamur ergo heic *Chymicos sensibus suis abundare, & exactissimis illorum demonstrationibus fidem adhibeamus, sensus enim dimittere in iis, quæ sensibus manifesta sunt, & rationes quarere, in-*

fir-



*firmitas intellectus est.* Non abs re igitur Celeberrimus monet Sennertus: nulla hic demonstratione opus esse, sed potius sensu, & si Chymicus, ait, dixerit illud, quod sumi specie elevatur esse Sulphur, Mercurium, istud Sal aliquod volatile, non aliquod meteorum: cum sensibus fidem derogem, & Chymicis ac Metallorum coëtoribus, quibus talia usitatissima sunt, non credam? Imo credunt omnes Medici, qui ea pro iisdem etiam usurpant, pro quibus à Metallurgis venduntur. Certe, sensibus hic fidem derogare, & demonstrationes postulare, à pericia Agnovias est. Et hoc qui facit, idem facit, ac qui piscatori, qui lucium se cepisse dicat, carpionem vel cancrum cepisse Syllogismo persuadere conetur: imprimis cum effectibus res tales naturas suas satis prodans, & proprietatibus suis se manifestent. Lib. de Cons. & Diss. Chym. cum Gal. & Arist. Regerunt vero hostes Principiorum Chymicorum, illa in hujusmodi resolutionibus, ab aliorum mixtorum admixtione plane sincera & libera exhiberi non posse, adeoque non esse vere talia, pro quibus venditantur. Verum, hoc nihil refert,

cum hæc Principia nec seorsim à DEO creata sint, sed tantum in mixtione, extra quam nec dantur, non enim sunt species Mundi, sed in hunc finem, ut una cum Elementis, materiam reliquis mixtis præbeant, producta sunt; Præterea datur instantia ad Majorem: si enim quæramus ab illis, unde norunt singula mixta quatuor Elementis constare? illico recurrunt ad eorum resolutiones; nam, inquirunt, resolvuntur in Elementa; nullibi tamen pura Elementa monstrare queunt; multo igitur minus incumbit Chymicis, sua Principia pura exhibere, cum nec Elementa à mixtis libera cernere possimus, quæ tamen, non tantum in mixtione, verum & extra eandem vere existunt, hæc vero Principia non secus; sufficit ergo horum naturam in mixtis, in quibus maxime vigent, indigitasse. Hæc itaque rationes omnes, quas jam in medium attulimus, omnem dubitandi materiam nobis adimunt hac de re, num scilicet dentur hæc Principia, nec ne? cum adeo constanti muniantur veritate, ut citra omnem controversiam

fiam, ab *aquis rerum Censoribus* uno consensu facile admittantur ac recipiantur, quare nec pluribus illorum *existentiam* probare necessarium ducimus; *Cum sapienti*, ut loquitur *Comicus*, *dictum sat sit.*

## §. V.

**E**voluta sic *Questione* *si* *est*; recto jam tramite pedem promovemus ad *alteram*, quæ habet *si* *est*; *Describuntur* autem *Principia* *hec* communiter hunc in modum: *Principia Chymica* sunt corpora naturalia mixta, speciebus concreta, ut mixtorum, concurrentibus tamen Elementis, sint materia, peculiariumque operationum causa. In data definitione Generis vicem obtinet Corpus naturale, mixtum, & quidem jure suo, cum sit genus proximum, latius tamen definito. Quod sint corpora, non moramur; sunt enim *Substantie*, *materia* & *forma* constantes. Sed excipiunt: nullum principium esse corpus; verum, valet hoc de principijs generalissimis, utpote: *Materia* & *Forma*, qualia *hec Principia* esse non contendimus, (quod jam supra in *Homonymia vocis* indigitavimus) sed *specialia* tantum, & prin-

*cipia sui ordinis, respectu videl. aliorum corporum magis mixtorum, & ex his compositorum; cum nihil absurditatis implicet hoc, licet corpus aliquod minus mixtum, statuatur principium alterius corporis magis mixti, quod etiam ab isto constituitur: declaratur hoc exemplo Elementorum sanguinis & seminis, quæ etiam corpora sunt, & tamen principia aliorum corporum dicuntur, absque ulla contradictione; Diversus quippe considerandi modus, omnem tollit contrarietatem. Plura de his supra consule §. II. Sed dicat quis: Corpora quidem esse hæc Principia, a Chymicis tamen producta, adeoque non naturalia, sed artificialia. Verum, falsum est, hæc Principia Chymicorum arte producta esse; Ea namque artificialia sunt, quæ ipsam formam, in mente artificis prius conceptam, ab artifice accipiunt: at cujus artificis est, formas rerum naturalium producere? nullius sane, hoc sibi reliquit natura; eliciunt illa tantum ex mixtis, non fabricant, inveniunt*

solum, non vero *efficiunt* hæc corpora *Chymici*. Nec nobis heic necessum est ad *analysin Chymicam solam* fugere, tanquam aliunde *horum Principiorum existentia* probari non possit; habemus, præter id, quod *operatio rei* hic, in singulis *mixtis*, arguat *rem ipsam*, habemus, inquam, *resolutiones naturales*, in fimo, fumo, vaporibus & singulorum *mixtorum* cada-veribus, quæ ad oculus monstrant illa dari; nihil minus igitur sunt, quam *artificialia hæc Principia*. *Mixta* quoque sunt, ad horum enim constitutionem concurrunt *Elementa*, ex quibus, non secus ac alia *mixta* conflata sunt; verum *mixta prima* sunt, & hoc *ratione materiae*; in *forma* etenim *hæc compositio Physica* locum non habet, cum illa *majoris* sit *simplicitatis*; in *Elementa* quoque, quibus originem debent, *resolvuntur hæc Principia*; *mixta* igitur sunt, non tamen *simpliciter*, *peculiare* enim *formas*, per quas suas exe-runt operationes, æque ac *Elementa* statim in prima creatione, à Creatore ac-

cepere. *Differentia* heic petitur à qua-  
 tuor rerum naturalium *Causis*: *Efficiente* sc.  
*Materia*, *Forma* & *Fine*. Quæ licet singulæ  
 in *definitione* *expresse* non nominentur, ne-  
 quaquam tamen *excluduntur*, sed omnino  
*subintelliguntur*. *Causa* igitur *Efficiens*  
*Principiorum Chymicorum*, & quidem *Uni-*  
*versalis*, eaqve *omnium Principalissima* est  
 DEUS Ter Opt. Max. qui illa in *exem-*  
*plis* creationis, cum & in *singulis mixtis*,  
 ex *Elementis* varie permixtis creavit, &  
 unicuique horum *propriam suam formam*,  
 per quam sunt, *distingvuntur*, *operantur* &  
*denominantur*, æque ac omnibus rerum  
*naturalium speciebus* indidit: Ut igitur  
 nullum corpus sine *materia* & *forma* exi-  
 stere voluit solers rerum *Natura*, ita  
 & *hujus Auctori* ne unicum quidem *mix-*  
*tum*, quod *hiscæ Principiis* careret, produ-  
 cere placuit. *Particulares proxime* ho-  
 rum *Principiorum Causæ*, eaqve *Principales*  
 sunt alia *Principia Chymica*, quæ, ut *agen-*  
*tia particularia*, per *vim* illam *prolificam* &  
*potentiam sese multiplicandi ac propagandi*,  
 quam *mediante semine*, haud secus ac alia  
*mixta,*

*mixta, statim cum primo universi Ortu,*  
*â Creatore accepere, jam æque ac illa se*  
*multiplicant, & per traducem propagan-*  
*tur, sibi que simile gignunt. Cum enim*  
*res crearet DEUS Opt. Max. verbo, ut*  
*verbis utat Celeberrimi Dan. Sennerti,*  
*Elementa miscuit, & mixta suas formas pe-*  
*culiâres & seminales rationes indidit, atque*  
*ita cursum Naturæ per propagationem spe-*  
*cierum in individuâ conservat & tuctur.*  
*Materia ex qua Principiorum Chymicorum*  
*sunt quatuor Elementa, ignis, aër, aqua &*  
*terra, ex quibus varie mixtis, æque ac o-*  
*mnia corpora composita, conflata sunt hæc*  
*Principia. Constat hoc ex horum Principi-*  
*orum analysi, tam Chymica, quam mere na-*  
*turali, ubi ad oculum videre est, illa re' olvi*  
*in liqoreum aqueum, pulverem terrestrem, aë-*  
*reos flatus & igneos fumos. Materia ve-*  
*ro omnium proxima est ipsum principium*  
*feminale, â DEO omnium Creatore, in*  
*prima rerum creatione, hisce Principiis*  
*inditum, mediante quo propagantur, si-*  
*bique simile gignunt. Propriâs quoq; For-*  
*mas, â formis Elementorum omnino di-*  
stin-

distinctas, per quas constituuntur, suasque exercent operationes, habent singula hæc Principia Chymica: utque ex formis Elementorum, illorum profluunt qualitates: caliditas, frigiditas, humiditas & siccitas; ita ex Principiorum Chymicorum formis, horum virtutes: Odores, Sapores, Colores, Inflammabilitates & hujus generis operationes, quæ ex Elementis eorumque qualitatibus demonstrari nequeunt, deducendæ. Et licet hæc, ut & aliarum rerum naturalium forma, plene & plane nobis notæ non sint, hinc tamen earum existentia non est neganda; cum à nostra ignorantia, ad rei negationem non liceat argumentari; & ignoremus licet τὸ πῆϊον, quales sint, novimus tamen τὸ ὄν, illas nim. in natura rerum revera dari; quod satis superque arguunt qualitates & operationes, quæ a materia procedere non possunt. Causa Finalis, propter quam creata sunt Principia Chymica, est vel Principalis, vel Minus principalis. Illa efficientem respicit, hæc vero ab officio horum Principiorum desumitur. Est autem Principalis Principiorum

Chy-



*Chymicorum Finis Gloriz Divinz illustratio,*  
 cujus gratia totum hoc mundi Systema à DEO Altissimo creatum, in hunc diem conservatum & ad Universi occasum ulq; conservandum est. *Minus principalis,* isq; *particularis* in definitione geminus innuitur. *Unus:* ut ex hisce *Principiis qualitates quedam virtuales* (quarum beneficio peculiare in mixtis operationes, ab istis *Elementorum tangibilibus, caliditate sc. humiditate, frigiditate & siccitate* omnino discriminatæ, cernuntur) tanquam ex propriis proximisque suis *principiis* depromantur, utq; peculiarium operationum in ἀποδείξει Medica, nec non in extracta tinctura Chymica, cause existant. *Alter:* ut hæc Principia, varie inter se permixta, sub *Elementorum* infimul concurrentium involucro, pro varia variarum formarum determinatione, materia & corpora diversarum specierum, in regno animali, vegetabili & minerali constituent. Hic non inconvenienter quæritur: Utrum in numerum specierum mundi accersenda sint hæc corpora, cum sub-

stant.

*stantia* audiant, adeoque subsistendi polleant robore? Negamus nos hanc questionem, his præcipue moti rationibus; quia, licet hæc Principia proprias suas formas, per quas sunt, quod sunt, habeant, adeoque suo genere perfecta sint; nunquam tamen separatim, verum in & cum aliis corporum mixtorum speciebus existunt, quare nec plane sincera puraq; Chymicis, multo minus nobis, arte quamvis Dædala eliciantur, obvia sunt; corpora enim illa, quæ Metallorum coctores nobis exhibere solent, ab omnium aliorum mixtorum admixtione plane libera non sunt, & hæc est ratio, cur certas mundi species non constituent hæc Principia: cum immediatè mundum non integrent, sed mixtum saltem intrent; non enim sui, sed alterius, corporis videlicet mixti causa, ad quod constituendum concurrunt, condita sunt Principia Chymica.

§. VI.

Qualitates Principiorum Chymicorum investigaturi, non equidem ignoramus, easdem multis Adversariorum, maxime vero Interpretum arietibus, ast fractis sane

sane cornibus pulsari: Censent *bi*  
 nihil præter *Elementa*, varie inter se  
 permixta in *mixtis* revera inesse, qua-  
 re & omnes *corporum mixtorum contempe-*  
*rationes & operationes Elementis*, eorum-  
 que *qualitatibus* attribuunt, utque quod  
 volunt, obtineant, & hæc *Chymicorum*  
*Principia* è foro *Physico* radicitus extir-  
 pent, nescio, quot non petunt principia,  
 quot non implicant *contradictiones*, quot  
 denique non obruuntur *confusionibus*;  
 proprioque ferro jugulum stringunt  
 Placet unum alterumve notasse, ut cui-  
 vis constent illorum *deliria*. Primum i-  
 gitur est, quod proferunt *adverse par-*  
*tis Patroni*: *Aër*, inqviunt, *ignis*, *aqua* &  
*terra*, licet in se & sua natura non sint sa-  
 pida, odorata colorata aut inflammabilia;  
 possunt tamen mixta hujusmodi *qualitates*  
 recipere. Conantur hoc probare exem-  
 plo *Animæ*, ut enim illa, dicunt, quam-  
 vis ipsa *quantitatis* omnisque *corporeæ mo-*  
*lis* expers, *quantitatis* tamen, ipsiusque *cor-*  
*poris efficiens causa* merito salutatur; ita  
 nec ab *inimili* ratione *Elementa*, ipsa licet

*harum qualitatum expertia, Odores tamen, Colores, Sapores & Inflammabiles recipere omnino posse. At, quis illos heic, vel lippientibus oculis toto cœlo deviare non videt? Unum incertum falsumq; per aliud æq; imo magis incertum, & in rerum natura falsissimum illustrare & probare non verentur: Corporis & Quantitatis Efficientem Animam esse prætendunt; quasi vero anima ex eo, quod neq; corporeum, neq; quantum ante erat, jam corporeum quid & quantum facere posset? nequaquam: id ipsum, quod & corporeum & quantum prius revera fuit, certo modo saltem determinare, animæ officium est. Nec valet hic argumentatio à simili, cum simile non probet rem, verum antea probatam tantummodo declaret, illustrioremq; reddat; incumbit igitur illis præprimis probare suum assertum, Elementa videl. huiusmodi Odores, Colores, Sapores in mixtis efficere posse. Argumentamur nos ex adverso: Quod nec ipsa habent Elementa, mixtis dare non possunt; At has qualitates, nec ipsa ha-*

*habent Elementa; E. has qualitates mixtis dare non possunt.* Major fundatur in hac regula Scaligeri: *Nihil est in re quapiam quod vel actu, vel potestate non fuit in suis principis.* Minoris certitudinem lux veritatis experientia probat, confirmat ratio. Nec sibi quis persuadeat, *Elementa id virtualiter præstare posse, novimus quippe rerum virtutes non esse majores ipsarum rerum essentia; ab Elementorum formis igitur cum fluant qualitates eorum, non possunt ultra vires, ab illis datas, operari; non enim temere licet ad virtutes recurrere, rationibus evincere debent hujusmodi virtutem inesse Elementis, non absque ratione gratis asserere.* Nec existimandum has qualitates in mixtis oriri ab Elementorum contemperatione; mixtio enim accidens est, quod ex sese non potest aliquid producere, nisi id in principis miscibilibus actu in-  
 fit, adeoque novas vires non procreat, sed vires priores saltem unit conjungitque. Ipsi quoque *Adversarii*, ingratis licet, convicti tamen fateri necessum

habent, has *qualitates* ex *Elementis* demonstrari non posse, ut tamen hæc *Chymicorum Principia* funditus evertant, frustra *Chymicos* nova *Principia* comminisci ajunt, cum nihil novi præter nomina dicant; *Nullum alium*, inqvunt, *usum nominum istius novitas* habet, *quam quod jam intricata obscurentur, quæ clarissima intelligi potuerant ante: terræ proprietates Sali, aquæ Mercurio, aëris Sulphuri suo tribuerunt Chymici, idque unice hæc ob causam, ut plus aliis sapere viderentur. Ita naturæ ego è suo cerebello judicant superficiales illi Naturæ scutatores; verum, fallunt & falluntur, dum mixtorum idia simplicibus ferunt accepta. Multa dicunt, sed pauca probant. Suum cuiq; tribuendū, nec, quod formæ unius est proprium, alteri inconsulto adscribendum: cum nihil agat ultra virtutem suæ speciei; sed ut res se habet *in essendo*; ita se habeat *in causando*, necesse est. Et quis, ratione & sensibus præditus, non agnoscit differentiam inter *Salem & terram?* vident omnes *aquam* liquefacere *Salem*, *ignem* vero vicissim e-*

undem coagulare, quod *terra* nunquam patitur. *Aqua & Mercurialis Spiritus Chymicorum* longe differunt, *qualitatibus* quippe occultis gaudet hic *Spiritus*, in super & *Spirituosus* est, quod de *aqua* nemo dixerit. *Aërisne* *qualitates* eadem sunt ac *Sulphuris Chymicorum*? nihil minus; ingens discrimen est inter hæc singula: Quis unquam dixerit *aëra* *Odores* gignere, *mixta colorata* reddere, quæ singula præstat *Sulphur*? Num & *inflammetur* *aër*, quod *Sulphur* facit? quid unquam absurdius? hoc si procederet, jam dudum totus orbis deflagrasset. Contundunt ergo *Interpretes Philosophi* illa, quæ maxime à se invicem discriminari voluit *Natura*; quippe quæ *Elementa*, utpote *simplicia* suis, hæc quoque *Principia*, uti *mixta* suis, ab *Elementorum* maxime distinctis vestire voluit *qualitatibus*, utque ab *Elementorum formis*, illorum, ita à *formis Principiorum Chymicorum*, horum profluunt *virtutes*, quæ nequaquam minoris æstimandæ erunt ac *Elementares*. Sunt autem *Qualitates Principiorum Chymicorum accidentia*,

*à formis istorum promanantia, & actionibus ac passionibus inservientia. Genus Qualitatum Principiorum Chymicorum facimus accidentia, & quidem non sine ratione, cum & Qualitas accidentis species sit. Differentia hinc tribus absolvitur; Subiecto adequato, Causa proxima & Fine. Subiectum harum Qualitatum est vel denominationis, vel informationis. Subiectum Quod, seu denominationis harum Qualitatum sunt ipsa Principia Chymica, Sal, Sulphur & Mercurius. Subiectum Quo, seu informationis sunt horum Principiorum forma. Causa efficiens proxima, unde resultant hæ Qualitates, est Salis, Sulphuris & Mercurii Forma, ab Elementorum formis maxime distincta. Certum denique respiciunt Finem hæ Qualitates: veluti enim Elementares Qualitates suorum Subiectorum, ita hæ quoque Qualitates Principiorum Chymicorum actionibus & passionibus inserviunt; mediantibus enim hisce Qualitatibus operationes suas exerunt hæ Principia. Recensentur autem Qualitates Principiorum Chymicorum vulgo quatuor: Sapor, Odor, Color & Inflammabilitas.*



## Q. VII.

*Saporem* definit Aristoteles, quod sit *Squalitas corporis mixti, à secco terrestri in humido aqueo per calorem generata.* Ast quam absurde, perspiciat facile, ingenuus rerum aestimator, qui opera naturæ sobrio iudicio considerat. Quid enim calor? quid siccitas terræ? quid humiditas aquæ ad productionem Saporis? cum nec terra, nec aqua ipsa, utpote pura Elementa, gaudeant Sapore; insipida quippe corpora simplicia singula sunt; Calor denique accidens est, quod, ex se, ne minimum quidem Saporis producere potest; & si hic aliquid præstat calor, ut Sapor gustanti perceptibilis tantum evadat, efficit, non vero Saporem in re sapida constituit, cum Sapor revera suo subiecto semper insit, licet à nullo gustetur, accidens quippe cum sit Sapor, à suo subiecto nunquam separatur, accidentis enim esse, est proprio subiecto inesse, extra quod impossibile est dari accidens. Et si, ex eorum sententia, in Sapore vincit humidum, cur siccissima, utpote: cario-

phylli, piper & zingiber, peracri ling-  
 gvam *Sapore* perstringant? dicant for-  
 te & hæc per humorem *Sapida* reddi,  
 cum salivoso lingvæ humore madefi-  
 ant; sed distingvant hi inter *dispositio-*  
*nem organi*, & ipsius *objecti constitutionem*.  
 Manifestatur saltem *Sapor* in re sapida,  
 dum illa lingvæ beneficio humectatur,  
 non vero formatur; cum *Sapor* nun-  
 quam non suo *subjecto* insit, ut modo  
 dictum. Cur etiam *humida siccitatis* pla-  
 ne expertia, ut: aqua pura, & juscula  
*Sale* non condita *Sapore* careant, si *hu-*  
*miditas aquæ, Sapor* res gignere posset? Hinc  
 igitur patet *Salem* πῶτον δελιχὸν esse o-  
 mnis *Saporis*; quia, si aquæ & jusculis  
 prorsus insipidis, vel modicum asper-  
 gatur *Salis*, illico gratissimum in illis  
 gustamus *Saporem*. Credunt quidem per-  
 plurimi *ignem* tantis præditum esse viri-  
 bus, ut *terram* in *Salem* convertere, & con-  
 sequenter *Sapores* causare queat; sed deci-  
 piuntur sane, qui his nugis fidem adhi-  
 bent. Separatur tantummodo *Sal* virtute  
*ignis* à particulis terrestribus, qui ante  
im-

impuris inerat, nequaquam vero generatur; si enim *ignis*, *terram* excoquendo, *Salem* gigneret, non tanta esset penuria *Salis*, quantam jam experimur omnes: & *terra*, & *igni* (DEO Laus) abundat nostra Patria, haud secus ac exoticæ; si jam *ignis* ope, *terra* in *Salem* mutari posset, non esset nobis necessum, tanto sumptus & vitæ sæpius dispendio, è tam longe distitis regionibus, ad nostras oras *Sales* adferre. *Salem* quoque, non eadem copia omni *terre* inesse, ejus coctores satis testantur. Nec ergo à *ficcò terreno*, in *humido aquæ*, per *ignis calorem Sapor generatur*; cum nullus inveniatur Artifex, qui vel minimum *Saporis per calorem à terra* depurata, undisque limpidis immixta producere possit: Et posito, quod *Saporem è terra* elicere queat: ille *Sapor terre* ortum non debet; *terra* etenim *simplex* est, hujusmodi *qualitatis* omnino experta, à *Sale* autem est, quicquid in illa *Sapidum* est, cum nec *terra*, nec reliqua *Elementa* nobis pura unquam exhiberi possint;

impura enim *nostra terra* est, quæ, non  
 reliqua modo *Elementa*, sed & *Salem*,  
*Sulphur* & *Mercurium* in se continet;  
 quicquid ergo in se *Saporis* habet, hoc  
 ex proprio *Saporis* *subjecto Sale* habet:  
 Ubicunque enim *Sapor* est, ibi *Sal* est,  
 & vice versa; ut, quicquid *Sale*, aut  
*Spiritu salino* careat, insipidum plane sit,  
 sui que gustum nulli exhibere possit.  
 Hinc est quod *Saporis* expertia sint o-  
 mnia *simplicia*, ipsa quoque *Elementa*, in  
 se & ex se prorsus insipida sunt, cum *Sa-*  
*saporis* *subjecto Sale* careant, *mixta* corpora  
 sola *Sale* gaudent, non vero *simplicia*, id  
 enim contrariatur eorū simplicitati, si a-  
 liquid ex miscibilibus participarent, tum  
 quippe, non *simplicia*, sed maxime *mix-*  
*ta* forent, quod absurdum. Ut ergo non  
 cæteris miscibilibus, ita nec *Sale* con-  
 stant *simplicia*, & per consequens omni  
 quoque *Sapore* destituuntur. Omnes itaque  
*Sapores* privato quodam jure *Salibus* ad-  
 scribimus, *Saporumque* discrimina *Salium*  
 diversitati originem debere, nobis per-  
 sua-

sivalum habemus; *Sapores* enim pro  
*Salium* diversitate semper variant.  
 Cumque in re ipsa non fundetur *Sa-*  
*poris* definitio prior, illam, cum pace  
 tamen suorum, merito rejicimus, &  
*hanc Qualitatem corporis mixti à Sale, ad*  
*rerum differentias lingue representandas o-*  
*riri, firmiter concludimus.*

§. VIII.

**O**dorem ex sicco sapido, cum humido con-  
 temperato, caloris opera exsurgere, cum  
 suo Antesignano contendunt Aristote-  
 licis; verum prorsus inconsiderate. Quem-  
 admodum enim *Sapor* nullus vel à  
*sicco*, vel à *humido*; ita & inde *Odor* nul-  
 lus, quomodocunque tandem *siccum* cum  
*humido* contemperetur. Et si *siccum*  
*Odores* gigneret, utique *ignis* & *terra*,  
 quæ *Elementa siccissima* sunt, *odoratissima*  
 quoque essent, quod tamen falsum, cum  
 nec *ignis*, nec *terra*, per se vel minimo  
 gaudeant *Odore*: si vero ex *humido* ori-  
 retur *Odor*, utique *Elementorum humi-*  
*dissima aqua*, omnium maximum de se  
 spar-

spargeret *Odorem*, quod tamen æque ab-  
 sonum; cum tam *aqua*, quam cætera  
*Elementa* cuncta, pura si considerentur,  
 omni prorsus *Odore* destituantur. Sed, in  
*Odoribus humido debere prævalere siccum*, a-  
 junt, sicuti in *Sapore* dominatur humidum; ubi  
 enim multum humiditatis, ibi parum *Odoris*,  
 dicunt. Contrarium vero probat ipsa  
 experientia: Quæ etenim *humidissima*  
 sunt; vel fragrantissimum, ut, *vina* re-  
 centia; vel foetidissimum, ut: *urina* &  
*excrementa putrida*, *Odorem* spirant;  
 quæ vero maxime *sicca* sunt, utpote *a-*  
*rena*, nec non *ficci* & *marcidi flores*,  
 ex quibus *Sulphur* maximam partem  
 jam exhalavit, omni carent *Odore*. *O-*  
*dorum* quoque materia, præter *humidum*  
 & *siccum*, adjiciunt *sapidum*; quid  
 autem *sapidum*, quatenus tale est, ad  
*Odores*, cum nec idem agnoscant *subje-*  
*ctum*? *Subjectum* enim *Saporis* *Sal* est,  
*Odoris* autem *Sulphur*. Quod vero res  
*Sapidæ* plerumque etiam *Odorate* sunt,  
 fit hoc ob *Sulphuris* & *Salis* in *mixtis*  
 conjunctionem, unde non licet collige-  
 re

re, *Odorem à Sapore* ortum trahere,  
 cum aliud hujus *subjeētum* sit, à *subjeēto*  
 ejus plane diversum. Porro, *calorem*  
 quod concernit, præstat ille, non ut  
*Odor* sit, sed ut perceptibilis solum sit;  
 attenuandi enim laxandique vi prædi-  
 tus est *calor*, hujus igitur beneficio in  
 auras liberius spargitur *Odor*, non vero  
 generatur; cum & hic proprio suo *sub-*  
*jeēto* temper insit, licet nec *calor*, nec  
 quis eundem odorans adsit: hoc igitur  
 tantum hic efficit *calor*, ut facilius ab  
 organo odoratorio percipiantur *Odores*;  
*Efficiens* etenim omnis *Odoris* ipsa *Sul-*  
*phuris* forma est, quæ omnes *Odores* cau-  
 satur & efficit. *Adequatam* ergo *Odoris*  
*subjeētum* *sulphur* est, quod & exinde  
 liquet: quia *Chymici* singula *mixta*, *Sul-*  
*phuris* subtractione inodorata reddere  
 possunt; præterea & nusquam datur  
*Odor absque Sulphure*, quare nec *Elemen-*  
*tis* puris ullus inest *Odor*; si autem quis  
 in illis forte occurrit, ex *Elementis* non  
 est, verum à *Sulphure*, qui in illis nun-  
 quam non latet. Quare & *Odor* nobis  
 est

est *qualitas corporis mixti, orta à Sulphure, ad rerum differentias olfactui sistendas.*

§. IX.

**U**t in *Odoribus & Saporibus*, ita & in *Coloribus* describendis hallucinantur Peripatetici. Hos enim *ex commistione perspicui cum opaco pullulare* dicunt; sed frustra; cum tota *Natura* ejus exemplum nullum præbeat. *Aër* sane *perspicuus est*, & *terra opaca* satis; horum autem *mixtura* ne *Argo* quidem, aut *lynceis oculis* prædito, *Colorem* objectat; Veluti enim *Sapore & Odore*, ita *Colore* quoque *singula* destituuntur *simplicia*. Quod autem videntur *cælestia corpora*, id non à *Colore* habent, verum à *luce*, *lux* etenim *primarium objectum visus est*, absque qua nec *Color* videri potest; unde tamen non licet inferre, *lumen esse causam Coloris*, *lumen* enim, non ut sit *Color*, sed saltem, ut *actu* videatur efficit, cum etiam noctu *revera existat Color*, quamvis, *lumine absente*, à nullo videatur. Poëta vero dicens:

---  
*rebus nox abstulit atra Colorem,*  
 vel



vel ad captum vulgi loqui voluit; vel  
 ad hunc effectum, *essentiam Coloris* in-  
 sequentem, *visibilitatem* sc. *Coloris* res-  
 pexit: Videlicet, existant licet *Colores* æque  
 noctu ac interdiu, in tenebris tamen se vi-  
 sui sistere nequeunt. Quid enim ab-  
 surdus, quam si quis *visibilitatem* dix-  
 erit *essentiam* esse *Coloris*? quod sponte  
 sua exinde flueret, si *color* nec existe-  
 ret, quando non videtur. Est quoque  
*Color* in intima corporis colorati solidi-  
 tate, etsi oculis nunquam usurpetur.  
 Nec potest *lumen* causare *Colorem*; *Color* e-  
 nim *accidens reale* est, *lumen* vero *ac-*  
*cidens intentionale*; impossibile autem est  
*accidenti intentionali* producere *accidens* a-  
 liquod *reale*; *Causa* etenim semper *nobi-*  
*lior* erit *causato*. Constat autem *colo-*  
*rem* esse *accidens reale*, quia sem-  
 per proprio *Subiecto*, *Sulphuri* inest, a quo  
 nunquam separatur; ubicunque ergo  
*Color* est, ibi necessario etiam ejus *πρῶ-*  
*τον δεξιόν*, *Sulphur* erit, & contra.  
 Unde enim, quæso, tinctura adamantis,  
 hyacinthi & rubini, nisi à *Sulphure*?

pro

pro cuius varietate variant quoque *Colores*; *Sulphur* enim auri, argenti, cupri, cæterorumq; metallorum certos, & ab aliis distinctos exhibet in flamma *Colores*. Non igitur absque ratione statuimus, has *Colorum varietates*, in corporibus mixtis, ad rerum differentias oculis representandas, è *Sulphure* efformari.

## §. X.

**I**nflammabilitatem denique ob siccitatem & raritatem rebus competere volunt Conimbricenses: verum & hoc gratis; cum ipsa res contrarium loquatur. Videmus *res humidas* flammam concipere, *siccas* vero & *raras* non item. *Oleum*, *naphtha*, *vinum*, *Sulphur* liquefactum, nihil minus *siccæ*, ignem excipiunt. *Aër*, *pumex*, reliquæ papyri combusti *rarissima* sunt, & tamen accendi nequeunt. Hinc facile quis elicit, quam bene has Corporum mixtorum *qualitates* descripsit Aristoteles; scilicet, fallaci fundamento quicquid superstruxerat, corrui. Persvasum sibi habuit Phi-

losophus, nihil in *mixtis* præter *Elemen-*  
*ta* reperiri, ex quibus omnes mixto-  
 rum affectiones, sed frustra, deducere  
 conatus est, & hinc tot absurda. Va-  
 nas igitur heic vanorum opiniones  
 res ipsa detexit, aliterque rem habere,  
 Naturam non frigide rimantibus sug-  
 gessit. Quorum & nos vestigia cal-  
 cantes, ex cordato Scaligeri monito:  
*Ab exemplis Naturæ petendas esse rationes*  
*nostras, non ratiunculis Naturam subverten-*  
*dam arbitramur.* Ut ergo *Odores & Co-*  
*lores*, sic omnes *Inflammationes Sulphuri*  
 adscribit Natura, absque quo nulla fi-  
 eri potest *Inflammatiō.* *Sulphuris* igitur  
 & hic virtus elucet, sine cujus ope nec  
 ligna calefactioni, nec candelæ & lam-  
 pades illuminationi serviunt. In igni-  
 bus quoque fatuis & similibus non aër  
 accenditur, quippe qui *inflammari* nequit;  
 sed *primarium subjectum omnis inflammatio-*  
*nis, ipsum Sulphur.* Non igitur hæc *mix-*  
*torum Qualitas siccitati & irritati Corporum;*  
 verum non secus ac *Sapores & Odores,*

*tertio huic Chymicorum Principio Sulphuri  
 originem debet. Atq; hæc, pro ratione  
 instituti, de Principiorum Chymicorum na-  
 tura & indole, ea, quæ fieri potuit bre-  
 vitate, in præsens dicta sufficiant; in  
 quibus non paucas relictas esse dubita-  
 tiones novimus: Quid autem mirum?  
 Multa nescientes de multis dubitare necessu est.  
 Ad Te igitur in portu redeo, Lector Ami-  
 ce, quæ par est observantia contendens, ut  
 æquæ de his sententiam feras; cumque pagellas  
 hæc à corruptis malefactorum quorundam  
 judiciis & calumniis immunes polliceri non  
 potuerim, Tibi illas defendendas dicere volui  
 ut si habeant Thrasones, nec Patronibus de-  
 stituantur. Quod si obtinero, totus Ti-  
 bi devinctus ero: Illos vero nec  
 lingua dignor, nec calamo.*

*TANTUM.*

*Ad Juvenem optimæ spei, natalium splendore,  
eruditionis laude, morumq; concinnitate  
maxime conspicuum,*

**DN. SAMUELEM FLORINUM,**

*amicum meum singularem, quia sincerum,  
dum Disputationem de Principiis Chymicis,  
proprio Marte contextam defendebat.*

**C***astalidum cultor, Musarum verus Alu-  
mnus,*

*Florea progenies, Pieridumq; decus;  
Pallas quem pergit largis Aganippidis undis  
Humectare suis, Magnus Apollo simul:*

*Ingenii prompti fœtum committere luci  
Contendit dextorite labore suo,*

*Inquirit doctæ gradium fundamenta rerum  
In Chymicis laudes hinc referet meritas.*

*Ausibus hisce Tuis adsit divina potestas,  
Comprecor ex animo! sic bene cuncta fluent.*

JACOB. FORSTERUS.

---

**S***i properas tales Australis Finnia a-  
lumnos*

*Parnassi scamnis concedere, habebere  
semper*

Tu major reliquis oris, quas Arctica  
tellus

Fert plures, florum partu fecunda  
benigno.

Inde iterum nitido procedens germine  
sua vis

FLORINUS noster, (docto qui guttere  
pandit

Dogmata, Principiis Chymicis quæ lu-  
mina fundunt)

Ostendit Celebris quod sit Finlandia ad  
Astrum.

Et sibi Doctorum suffragia prona parabit,  
Eximios ob conatus tumserta meretur,  
Tempora quæ cingent Parnassia turba  
venusta.

Verum Tu Patria decus & spes ma-  
gna Parentum,  
Incolumis vigeas sera usque ad fata;  
precabor!

DANIEL SIRENIUS, Aust. Fial.

